

*gub*



65.

DE  
EO QVOD IVSTVM EST  
CIRCA  
FESTVM S. ARCHANGELI  
MICHAELIS

---

PROGRAMMA  
SOLLEMNI DIE ANNIVERSARIO  
S. MICHAELIS

A. R. S. C I D I O C C L X I I  
I N A C A D E M I A  
I V L I A C A R O L I N A  
P. P.

---

HELMSTADI  
LITTERIS VIDVAE B. SCHNORRII  
ACAD. TYPOGR.



ACADEMIAE IVLIAE CAROLINAE  
PRORECTOR

D. IOHANNES IACOBVS  
HOEFLER

VNA CVM SENATV  
CIVIBVS STVDIOSIS

S. P. D.

## I

**Q**uid circa praecipua festa annique tempora iustum sit, iam olim CHRISTIANVS WILD-VOGELIVS immortalis memoriae Iureconsultus, variis dissertationibus academicis posthac sub indice chronoscopiae legalis Ienae MDCC iunctim editis, legitime perquisiuit. Cum enim non solum leges diuinae cultum DEO debitum et hominum omnium et singulorum felicitatem praecipiant, uerum humanae etiam de externo DEI cultu et de politicis fanciuntur negotiis, facile constat, a iuris consulti officio alienum non esse, de rebus ad sacra externa pertinentibus differere. Hac igitur ratione inductus, occasione sollemnis diei anniuersarii S. MICHAELIS, de

IV

eo quod iustum est circa festum **S. ARCHANGELI** nonnulla tradere, apud animum constitui, eo magis quod laudatus **WILDVOGELIVS** in peculiari dissertatione de eo quod iustum est circa angelos, Ienae 1692 edita, hanc materiem quidem attigit, aliis tamen spicilegium reliquit.

II

Dari praeter **DEVM** et animam humanam spiritus intermedios, sola ratione diffi- ulter cognoscitur. Quicquid enim de his, tum inter ueteres tum recentiores Philosophos, haecenus disputatum fuit, mera niti- tur traditione tot fictionibus fabulisque repleta, ut ue- rum inde elicere paene impossibile sit. Collegit hu- iusmodi philosophemata, et more suo id est acute di- iudicauit **Cel. HOLLMANNVS** Tom. III. paulo u- ber. in uniuers. philos. introd. proleg. §. 14. seq. et **C. V. §. 256. seq.** Si dicendum quod res est, non quaeritur hic de possibilitate, sed de existentia eiusmodi spi- rituum, quae rationi non pater: ex Scriptura uero sa- cra **Gen. III.** constat, protoplastis spiritus interme- dios non fuisse ignotos, quorum notitia inde ad po- steros propagata, a gentibus deinceps per oracula, spectra, magos atque obfessos in errore confirmatis, pessime deprauata est. Qui diuerſas populorum diuersorum de huiusmodi spiritibus opiniones scire cupit, adeat **J. A. FABRICIVM** in bibliographia anti- quaria **C. VIII. §. 27 seq.**

III

Iam uero cum omnis cognitio nostra ab  
ex-

experientia pendeat, haec autem respectu spirituum intermediorum ex scriptura sacra luculenter haberi possit: merito in hoc maximi ponderis argumento danda est opera, ne ratione abutamur, sed eam potius ope sacri codicis instruamus certamque reddamus, ut de eiusmodi spiritibus hoc pacto rite conceptis ideis, meliora postea de illorum praestantia, uiribus et operationibus, iudicia, pro nostro intelligendi modo formare possimus.

## III

Creasse DEVM OMNIPOTENTEM inter reliquas res, quibus se in regno naturae manifestauit, etiam spiritus, qui angeli uocantur, sacra scriptura Gen. II. u. 1. abunde testatur, uerbis secundum BENED. ARIAE MONTANI translationem: *eorum exercitus omnis et terra et caeli sunt perfecti.* Nam licet LXX interpretes allegata S. S. uerba sic uerterint: *καὶ συνετέλεστοθησαν ὁ οὐρανὸς καὶ ἡ γῆ, καὶ πᾶς ὁ κόσμος αὐτῶν,* tamen per *exercitus caelorum* angelos intelligi ex loco Nehem. IX. u. 6. patet, quem nominati translatores ita interpretantur: *καὶ τὸ ζωοποιεῖς τὰ πάντα καὶ σοὶ προσκυνῶσιν αἱ ΣΤΡΑΤΙΑΙ τῶν οὐρανῶν.* Inde DAVID Pf. CXLVIII. u. 2. dicit: *eius angeli omnes eum laudate; eius exercitus omnis eum laudate.* Inde LUCAS C. II. u. 13. perhibet: *ἐγένετο σὺν τῷ ἀγγέλῳ πλῆθος ΣΤΡΑΤΙΑΣ οὐρανῶν.* Cognoscimus porro ex scriptura sacra creatos angelos esse substantias materiae expertes, cum DIV. PAVLVS ep. ad Ebr. I. u. 14. eos appellat *λει-*

ἄσβεστον πνεύματα. Sunt praeterea immortales, nec cer-  
 to quodam loco circumscripti, secundum diuina ef-  
 fata MARCI C. XII. u. 25. LVCAE C. II. u. 15. et  
 C. XX. u. 34. 36. itemque PAULI ad Ebr. I. u. 7.  
 gaudent intellectu; et quidem humano multo sagacio-  
 ri, quo DEVM creatorem, se ipsos inter se, aliasque  
 creaturas optime cognoscunt, ut loca MATTH. XVIII.  
 u. 10. et ZACHAR. II. u. 3. seq. indicant. Adhaec  
 praediti sunt libera uoluntate Ps. CIII. u. 21. II. PET.  
 II. u. 4. et potentia agendi in corpora, hincque uarias  
 operationes edendi, per textus II. REG. XIX. u. 35.  
 LVC. I. u. 26. seq. et C. II. u. 9. ACTOR. V. u. 19.  
 Conf. BVDDVS in instit. Theol. dogmat. L. II. C.  
 II. §. 19. seq.

## V

Quoniam uero de DEO omnipotente non nisi  
 perfectissimum cogitari potest, ita facile intelligitur  
 omnes angelos ab initio extitisse perfectos. Quos-  
 dam uero sua libera uoluntate abutentes defecisse a  
 DEO, nec perstitisse in ueritate, discimus ex epist. IV-  
 DAE u. 6. add. IOH. C. VIII. u. 44. Obseruatur i-  
 gitur duplex angelorum status, gratiae nimirum et glo-  
 riae. Dantur inde angeli boni et mali. Vid. BVDD-  
 VS cit. loc. §. 30. De malis dicere nihil iam attinet,  
 nisi quod de illorum in corpora agendi, indeque uari-  
 as operationes edendi, potentia colligere possumus,  
 meras non esse fabulas quae de obsessione corporali,  
 magia et spectris, dicuntur.



## VI

Diuersa, quibus angeli in sacris litteris indi-  
 cantur, nomina ansam dederunt Iudaeis, ut inde  
 decem gradus siue ordines angelorum deduce-  
 rent, quorum decimus lapsorum erat. Quam opi-  
 nionem deinceps et Christiani adoptantes nouem bo-  
 norum angelorum ordines statuerunt. Hac de caus-  
 sa templum nouem ordinum angelorum Constantino-  
 poli olim constructum, indeque Graeci die VIII. No-  
 uembris festum nouem ordinum angelorum cele-  
 brant. Vid. FABRICIVS in bibliogr. antiq. C. VIII.  
 §. 27. Inde etiam in C. XLV. §. I. dist. 2. de poe-  
 nit. ordinatum legitur: *Nam cum per ipsa sacra clo-  
 quia angeli, archangeli, throni, dominationes, uirtu-  
 tes, principatus, potestates, cherubim et seraphim a-  
 perta narratione memorantur, quantae sint superno-  
 rum ciuium distinctiones, ostenditur. Quae disposi-  
 tio iuris canonici maior apparet, si cum C. LV. dist.  
 I. de consecrat. comparatur, ubi haec uerba occur-  
 runt: Hi duo solummodo hymni ab angelis in nouo  
 testamento inueniuntur decantati: alleluia, atque:  
 gloria in excelsis DEO. Quos pariter in septuagesima  
 intermittimus: quia peccato hominis ueteris a conuen-  
 tu angelicae iubilationis expulsi in huius miserae ui-  
 tae Babylonem, super flumina eius sedemus, et fle-  
 mus, dum recordamur illius Son, in qua DEVM de-  
 cet hymnus. Quod nouem hebdomadibus alleluia in-  
 termittimus, non incongrue per nouem hebdomadas  
 nouem ordines angelorum accipimus: quorum deci-  
 mus ordo per superbiam corruens, angelicum nume-  
 rum*

## VIII

*rum minuit, et a felicitate perturbauit.* Vtraque uero et Iudaeorum et Christianorum de angelorum ordinibus coniectura non nititur sacrae scripturae testimonio. Huius enim auctoritate angelorum unus est ARCHANGELVS MICHAEL I. ad Theff. IV. u. 16. Apocal. XII. u. 7. quem DANIEL propheta magnum principem uocat, sicut et daemoniorum unus primarius, qui Beelzebub uocatur, in sacra scriptura occurrit LVC, C. XI. u. 15. Patet simul ueteres quosdam e Iudaeis et Christianis ualde errasse, qui notante FABRICIO loc. cit. septem Archangelos effinxerunt, illisque totidem malos ac corruptores, uitiorumque ac scelerum praesides, oppositos esse statuerunt, quibus merito dicam scripsit summe uenerandus Academiae Altorfinae Senior, doctor Theologus BERNHOLDVS, uir humanissimus mihiq; amicissimus, in dissertatione de MICHAELE Archangelo uno. Qui error cum etiam in codicem Iustiniani repetitae praelectionis irrepserit, ut L. XXVI. §. 1. C. de S. S. eccles. indicat, et Nou. VIII. Tit. 3. corroborat; a Ictis emunctae naris optimo iure extirpandus est.

## VII

Bene THEODORICVS HACKSPANIVS in Sylloge disput. theolog. et philolog. pag. 244. animaduertit, angelorum nomen pro malis daemonibus in sacris litteris nunquam poni, uti uicissim daemonum nunquam pro bono angelo. Denotat uero angelus nuntium et legatum. Sunt enim angeli quorum  
nume-

numerus secundum s. MATTHAEI C. XXVI. u. 53. et DIV. PAULI epist. ad Hebr. C. XII. u. 22. testimonium, maximus est, DEI nuntii et legati. Quapropter DAVID Ps. CIII. u. 20. dicit: *eius angeli, eius exercitus, eius uoluntatem facientes, eius ministri, omnes DOMINO benedicite.* Sic quoque de angeli GABRIELIS saluberrima toti humano generi legatione testatur LUCAS C. I. u. II. seq. Immo in generaliore significatione etiam Saluator noster IESVS CHRISTVS uocatur angelus seu legatus DEI Exod. XXIII. u. 20 et 2I. IES. C. LXIII. u. 9. itemque angelus foederis MALACH. III. u. I.

## VIII

Cum autem boni angeli perstiterint in ueritate, et DEI sint ministri, intellectu difficile non est, eos, praesertim in statu gloriae, quo iam constituti sunt, et summa beatitudine frui, operationesque illorum non nisi optimas esse. Sunt autem, ut Spiritus, in perpetua actiuitate, cuius respectu uigiles dicuntur a DANIELE C. IV. u. 10 et 14. cognoscunt DEVM intuitiue, eumque perpetuo glorificant MATTH. XVIII. u. 10. ESA. VI. u. 3. Sciunt futura contingentia quae DEVS speciatim iis reuelat, aut, quae per experientiam humana multo clariorem illis innescunt, LVC. I. u. 26 et 31. II. u. 13. PAVLVS ad Ephes. III. u. 10. Adfuerunt DEO in promulgatione decalogi ut ministri, ne quid, quod maiestatem legis latoris augere posset, deesset, ut testes et uindices contra legum transgressores, DEVT. XXXIII. u. 2. ACTOR.

B

VII.

VII. u. 53. CHRISTO Θεωθρωπω inferunt eique etiam secundum humanam naturam cultum atque adorationem exhibent, PAVLVS ad Hebr. I. u. 6. Singulis hominibus piis non tantum ministrant, MATTH. XVIII. u. 10. LVC. XVI. u. 22. PAVLVS ad Hebr. I. u. 14. uerum etiam in statu ecclesiastico, civili et oeconomico conseruando et custodiendo iussu DEI diligentissimam exactissimamque nauant operam, ZACH. III. u. 7. DANIEL. C. X. u. 13. IOB. C. I. u. 10. Peculiari denique officio, extremi iudicii tempore, in colligendis piis, iisque ab impiis segregandis, ceterisque, ad executionem huius iudicii spectantibus, peragendis, fungentur, MATTH. C. XXIV. u. 31. PAVL. I. ad Theff. IV. u. 16. Conf. BVDDVS in Instit. Theol. dogmat. L. II. C. II. §. 31 et 32. et in hist. eccles. V. T. Per. II. Sect. I. §. 18. et Sect. V. §. 3.

## VIII.

Ea quae haecenus de angelis dicta sunt eorum naturam uiresque satis demonstrant. An uero ex angelorum scientia futurorum contingentium limitata, potentia agendi in corpora, eorumque commercio cum hominibus, mysterium philosophicum de omnibus atque praesagiis reuelari possit, coniectare quidem, sed in re adhuc obscura certo definire non licet. Sufficiat nobis ex Scriptura sacra cognoscere, angelos multo praestantiores esse hominibus, illisque demum post mortuorum resurrectionem beatos homines fore aequales, quoniam teste s. LVC. C. XX. τῆς ἀναστάσεως υἱοὶ ἄνθρωπων, ἰσὶ ἀγγέλοι καὶ υἱοὶ εἰσὶ τῶ θεοῦ.

Por

Porro cognitio angelorum ex sacris litteris petita docet, haud bene eos agere, qui diuina reuelatione neglecta, omnia ex ratione, imo ne quidem recta, sed potius ex misera philosophia sectaria, uanis tantum abstractionibus, in ideis experimentalibus non fundatis, stipata, cognoscere satagunt. Nec e contrario audiendi sunt Fanatici, qui diuina reuelatione abutentes rationem prorsus eiiciunt, suaeque culpa non intelligunt, DEVM non brutis, sed hominibus solum rationalibus, ea quae ad salutem aeternam consequendam necessaria sunt, et a ratione ignorantur, reuelasse. His, cum rerum publicarum et imperantium insensissimi hostes sint, alia occasione dicam scribam.

## X.

Praestantia angelorum eorumque ministerium effecit, ut nonnulli mortalium illis plus honoris, quam par est, exhiberent, eosque adeo cultu religioso prosequerentur. Vid. IOH. TOB. MAIOR in diss. de natura et cultu angelorum, facta collatione Paganorum, Iudaeorum, Mahumedanorum et Christianorum, Ienae 1053. 4. Id quod ualde impium, cum omnis cultus religiosus soli DEO debeat, MATTH. IV. u. 10. APOC. XIX. u. 10. Iam in primitiua ecclesia extitisse impostores quosdam, qui humilitatis praetextu religiosum angelorum cultum apud Christianos imprimis Colossenses inducere molirentur, ex dicto DIV. PAULI ad Coloss. II. u. 18. animaduertit QVENSTEDIUS, antiq. bibl. et ecclesiast. P. I. C. VI. §. I. qui tamen simul ab hac

peruersâ opinione ecclesiam Apostolicam ad saeculum  
 usque quartum immunem defendit cit. loc. §. 2. cui  
 adstipulatur BINGHAMVS in originibus siue antiq.  
 ecclesiast. ex edit. GRISCHOVÌ L. XIII. C. III. §. 2.  
 et L. XVI. C. IV. §. 18. afferens, nullos, nisi manife-  
 stos haereticos, qui ideo *Angelici* dicti, antiquis tem-  
 poribus huiusmodi idololatriae incusatos fuisse. Sed  
 in istos pestifera opinione corruptos angelicos iustam  
 sententiam ferebat Concilium Laodicense Saec. IV.  
 celebratum, Can. XXXV. apud IVSTELL. et VOELL.  
 in biblioth. iur. can. vet. ubi non solum angelorum  
 ignota nomina fingere et nominare uetabatur, uerum  
 etiam angelorum cultus sub anathemate prorsus rei-  
 ciatur. Qui Canon deinceps etiam Capitularibus  
 regum Francorum L. I. C. 16. insertus reperit-  
 tur. Nihilominus tamen, ut bene uidit B. PERT-  
 SCHIVS noster in hist. eccles. Saec. IV. P. I. C. I. §.  
 15 et 16. improba haec secta posthac multos induxit,  
 et sanctorum adeo cultum post se traxit. A Iudaeis  
 quidem angelicos ortos esse, conicere licet ex loco  
 THEODORETI in comment. ad D. PAULI epist. ad  
 Coloss. II. u. 18. ubi refert, eos qui legem defende-  
 bant etiam ad angelos colendos induxisse, dicentes,  
 legem fuisse per illos datam: an uero IVSTINIA-  
 NI IMP. edictum in Nou. CXLVI. C. H. de hac se-  
 cta intelligendam sit, ut WILDVOGEL. in diss. de  
 eo quod iustum est circa angelos Sect. I. §. 3. cum  
 GOTHOFREDO in not. ad cit. Nou. puerat, est de  
 quo dubitem, eo magis, quod sequente paragrapho  
 indicaturus sum, Iustinianum ab Angelicorum secta  
 non

non fuisse alienum. Tota autem nouella CXLVI. loquitur de Hebraeis, horumque respectu C. II. præceptum legitur: *Si quidam uero apud eos atheos uanae nouae uocis eloquia inferre praesumpserint, aut resurrectionem et iudicium negare, aut facturam DEI et creaturam Angelos subsistere: hos et expelli uolumus loco omni, et non relinqui uocem blasphemiae, et ita a DEI simul lapsam notitia: praesumentes enim eos effari aliquid huiusmodi, ultimis subdantur suppliciis, illato errore ex hoc Iudaeorum emendantes gentem.* Quodsi ergo textus authenticus ex edit. HENR. SORINGERI conferatur, et uerba in cit. Nou. occurrentia: ἢ ἀνάστασις ἢ κελὼν ἀνάμεινοι, εἰ τὸ ποίημα τῆ Θεῶ καὶ κτίσιμα τῆς ἀγγέλων ὑπάδειν etc. paullo accuratius inspiciantur, facile intelligitur uerbum τὸ ὑπάδειν hic nil aliud indicare quam *existere*, atque adeo illos Iudaeos blasphemiae criminis reos iudicasse IUSTINIANVM, qui aut resurrectionem mortuorum, aut iudicium extremum, aut existentiam angelorum negabant. Ea uero omnia statuisse Sadducaeos, testis est s. LVCAS. Act. XXIII u. 8. Neque hanc sectam post Hierosolymae excidium, dissolutamque rem publicam Iudaicam, prorsus defuisse, sed potius usque adhuc in Turcia atque Italia eius uestigia superesse, conuendit LVNDIVS in Jüdischen Heiligthümern Gottesdiensten und Gewohnheiten L. IV. C. 12.

Cultus angelorum multarum aberrationum  
 causa erat, quorum pertinet Iustiniani Imperato-  
 ris improba formula iuramenti in Nou. VIII. tit. III.  
 qua iis, qui administrationes suscipiebant, per ange-  
 los iurare iniungebatur, cum tamen iuramentum  
 consistat in inuocatione DEI, tanquam testis et iun-  
 dicis, super ueritate assertionis et promissionis, ad-  
 eoque in DEI nomine iurandum DEVT. VI. u. 13.  
 Praeterea angeli ut protectores colebantur, iis tem-  
 pla consecrabantur, in eorumque reuerentiam fe-  
 sta, seu anniuersarii dies sollempniores sacri institu-  
 bantur; de quorum etymologia uidendus CALVOER  
 in rituali eccles. P. II. S. II. C. XI. §. OI. Tali super-  
 stitioso cultu maxime afficiebatur S. ARCHANGELVS  
 MICHAEL. Hunc enim ut protectorem  
 olim coluere Imperatores Saxones, eorumque praec-  
 ipuum uexillum ideo uocatum fuisse *angelum*,  
 quod S. MICHAELIS effigie insignitum esset, no-  
 tat CAR. DUFRESNE in Glossar. ad Script. med.  
 et inf. latinit. uoce *Angelus*, qui et simul uoce *mo-  
 neta* nummos tam aureos quam argenteos, effigie  
 angelorum insignitos, olim culos esse memorat. add.  
 SPEIDELVS in specul. obs. et notabil. iurid. polit.  
 uoce *Ehgelpfennig*. Pariter Galli S. MICHAEL-  
 LEM sibi protectorem elegerunt, equitesque S. MI-  
 CHAELIS instituti sunt anno MCCCCLXIX. die I.  
 Aug. a LUDOUICO XI. qui S. ARCHANGELVM  
 ut defensorem regni sui in bellis contra Anglos ge-  
 stis,



tis, singulariter coluit. de quo equestri ordine ui-  
 dendus BECMANNVS in Syntag. dignit. illustr. dist.  
 XIX. §. 7. Templum autem MICHAELI AR-  
 CHANGELO a CONSTANTINO M. dedicatum  
 esse testatur SOZOMENVS L. II. C. II. add. SELDENVS  
 de Synedriis uet. Ebr. L. III. C. XV. §. 6. Sic etiam de fe-  
 riis in honorem s. MICHAELIS celebrandis disponit  
 Ius canonicum in C. I. dist. 3. de consecrat. et c. 5. X.  
 de feriis. Qua uero occasione in ecclesia tam orientali  
 quam occidentali eiusmodi feriae, praesertim omnium  
 angelorum, quae in diem XXIX. Septembr. inci-  
 dunt, introductae sint, iam copiosius exponere su-  
 perfedeo, cum iam hanc materiam SELDENVS cit.  
 L. III. C. XV. §. 8. FABRICIVS in bibliogr. antiq.  
 C. X. p. 476. QVENSTEDIUS in antiq. bibl. et  
 eccles. P. I. C. X. N. XIII. CALVOER in ritual. ec-  
 cles. P. II. S. II. C. 39. et potissimum honoratissimus  
 collega ILL. HAEBERLINVS, in commentat. de s.  
 MICHAELE ARCHANGELO, eius apparitionibus,  
 festis et cultu, sigillatim in monte Gargano atque in  
 monte Tumba, illucque factis peregrinationibus,  
 egregie illustrauerint.

## XII

Ut uero de iusta reuerentia angelis debita eo  
 melius constet, ratio dicitur, eos quidem, quoniam  
 creaturae sunt, non religioso cultu, uerum tamen  
 ob multo maiorem, qua nobis praestant, uirtutem, ma-  
 ximeque salutaria, quae DEI iussu generi humano  
 exhibent, ministeria, omni legitimo honoris cultu es-  
 se

se prosequendos. Qua propter delicta in illos committi posse, recte iam animaduertit WILDVOGELIUS cit. diff. sect. III. qui tamen e contrario cum grano salis intelligendus, si in modo cit. diff. sect. II. §. IO. consecrationem templorum in honorem angelorum factam prorsus improbat. Equidem templi cultui diuino praecipue destinantur, atque adeo primo inaugurationis die merito soli DEO piis precibus commendanda atque consecranda. An uero in memoriam angelorum templa exstruere, diesque anniuersarios sollemnes ordinare, quibus DEO pro beneficiis, quae per angelos in nos confert, gratias agamus, sit impium, affirmare non ausim. Vtrumque enim ab impietatis nota longe alienum esse probant loca ACTOR. VII. u. 47. seq. et PL. L. u. 23. Quapropter exorta Euangelii luce, lege imperii publica die XV. Maii an. MDXLVIII in comitiis Augustae Vindelicorum lata Tit. XXVI. §. II. et 12. sancitum, ut festa ab ecclesia recepta, interque ea feriae s. MICHAELIS, retineantur atque obseruentur. Quemadmodum iam antea maiores nostri de legitimo honore angelis sanctisque martyribus exhibendo in August. confess. art. XXI. eiusque apologia, iustam declarauerant sententiam. Vid. Corpus doctr. Julium p. 145. et 449.

## XIII

Inde uero intelligitur, cur quotannis apud Euangelicos die XXIX Septembr. feriae s. MICHAELIS in memoriam omnium angelorum celebrentur, et iam

iam uidentum, quid occasione huius sollemnis diei  
 anniuersarii iustum sit, tum circa sacra externa, tum  
 circa negotia politica. Horum respectu WILDVO-  
 GELIUS cit. diff. Sect. II. §. 18. seq. iam annotauit,  
 festum S. MICHAELIS haberi pro interstitio aesta-  
 tis et hyemis, itemque ministri ecclesiae demortui  
 salarium, quod ex redditibus agrorum praediorumque  
 debeatur, et hoc pacto etiam annum gratiae, in Sa-  
 xonia Electorali ab hoc computari. Quod et in Mar-  
 chia, Ducatu Brunswicensi, Magdeburgensi, aliisque  
 locis obrinet. Vid. renouat. ordinat. eccles. Guel-  
 pherbyt. P. I. C. XVII. §. 3. seq. add. B. BOEHME.  
 R V S in iur. eccles. Protest. L. III. Tit. V. §. 303.  
 Porro, notante WILDVOGELIO, hoc tempore prata  
 aperiuntur et syluae clauduntur. Adhaec ordinat. iud.  
 imp. Cameral. P. II. Tit. XXXIII. §. 8. in hoc fe-  
 sto iustitium edicit, quod et confirmatum legimus  
 in recess. uisr. de anno MDCCXIII. §. 38. quem ui-  
 de in edit. nouiss. recess. imp. P. IV. N. CXIII.

## XVIII

Restat igitur, ut quae festo S. MICHAELIS po-  
 tissimum circa sacra externa facienda sint, indicemus.  
 De his autem renouat. ordinat. eccles. Guelpherbyt.  
 P. II. C. III. §. I. ita edicit: Nach altem wohlherge-  
 brachten Christlichen Gebrauch, sollen über die ge-  
 meine Sonntage nachfolgende Feste gehalten, und  
 der Gemeinde den nechst vorhergehenden Sonntag  
 von der Canzel öffentlich verkündiget werden etc.

C

Der

Der Tag Michaelis. An diesem Tage soll, wie hie-  
 bevor in unsern Kirchen bereits verordnet, auf dem  
 Lande GOTT für die Erndte, und den verliehenen  
 Seegen des Feldes, nach der Predigt gedancket,  
 und zu dem Ende das unten befindliche Erndte-  
 Gebet verlesen, und HERR GOTT dich loben wir  
 gesungen werden. Voluerunt igitur PII LEGIS-  
 LATORES, ut festo S. MICHAELIS DEO tam pro  
 beneficiis, quae per angelos in nos confert, quam pro  
 donis largissimis, quae per messem accipimus, hu-  
 millimas ageremus gratias. Equidem B. HILDE-  
 BRANDVS noster in libell. de diebus festis p. 80. pu-  
 rat, ecclesiam festo S. MICHAELIS, quod per fa-  
 bulam coepit, sine damno carere posse, ex usu ta-  
 men esse, ut Christiani semel ad minimum per annum  
 de angelis doceantur. Qua ratione uero haec intel-  
 ligenda sint §. XII. iam dictum est. Christiana igitur  
 libertate motus CLEMENTISSIMVS PRINCEPS  
 NOSTER CAROLVS, quem DEVS custodia an-  
 gelorum perpetuo fortunet, die III. Septembris  
 MDCCLIII. edicto ordinauit, quem ad modum in  
 terris suo imperio subiectis memoria angelorum quot-  
 annis celebranda sit, simulque messium ferias ab  
 omnibus sui Ducatus ecclesiis obseruandas esse, pie  
 praecepit. Nostrum est, CIVES OPTIMI, edicto  
 PRINCIPIS obtemperare, simulque ea facere, quae  
 B. HILDEBRANDVS cit. loc. memoriae reliquit, di-  
 cens: *Recte igitur celebratur hoc festum, non ob ap-  
 paritionem uel dedicationem templi in monte Gargano  
 factam, sed I. cum sanctissimos angelorum ordines ani-*

mo contemplatur, et hierarchiam illam coelestem, ubi  
 millies millia ministrant, et decies centena millia omni-  
 potenti DEO subserviunt: II. cum pie cogitamus,  
 Dominum nostrum IESUM CHRISTUM ad DEI de-  
 xtram sedere super omnes angelos, etiam in assumpta car-  
 ne nostra, et uenturum aliquando iudicem cum ange-  
 lorum exercitu: III. cum horremus ad ingentem poe-  
 nam magni illius draconis, qui felici Michaelis uicto-  
 ria coelo fuit eiectus: IV. cum DEVM inuoca-  
 mus, ut curam nostri suis angelis uelit committe-  
 re, qui nos in uis nostris custodiant, ne alicubi im-  
 pingamus: et denique V. cum gratias DEO  
 pro haecenus praestita angelorum tutela, et quod ad  
 cultu angelorum ad ipsius cultum finis reduci,  
 sollenniter agimus. Hoc enim si fecerimus, et DEVS  
 nobis erit propitius et angelos habebimus amicos.  
 Sic illorum uirtutes in statu, quo nunc uiuimus, gra-  
 tiae si fuerimus imitati, mortis tempore animae no-  
 strae ab iis asportabuntur in sinum ABRAHAMI,  
 postque mortuorum resurrectionem erimus ἰσάγγε-  
 λοι, et tum in statu gloriae DEVM uidebimus, eum-  
 que cum toto angelorum exercitu in saecula sae-  
 culorum laudabimus, et maxima cum exultatione  
 exclamabimus: SANCTVS, SANCTVS, SAN-  
 CTVS EST DOMINVS ZEBAOH.






35. Progr. in Fun. Stiliae Heinemannii, Com. Hroangs, vnyng. 1661.  
 36. Bodmereri phil. et theol. stud. 1665.  
 37. Fiknadersi progr. orationis — a Brunfelsi praem. 1663.  
 38. progr. in Fun. puellae An. Mariae Krohn. 1666.  
 39. — An. Marg. Nagleri. 1666.  
 40. — — puelluli Joh. Rixneri. 1666.  
 41. — — jenelli Joh. Fr. Rixneri. 1666.  
 42. — — An. Eleon. Ackeri. 1666.  
 43. Carin. grat. ad Busmannum. 1667.  
 44. Ode in caritatem. 1678.  
 45. Andri. Helm. Hellberg gratulatio Acad. Juliae prof. 1778.  
 46. Progr. Henrici Wilschurpi. 1680.  
 47. Festu. nupt. Carl. Anoltri Drumbricht. 1678.  
 48. Lat. ac debet. officium ad evadum. 1678.  
 49. Pia vota ad Lud. Fabrum sponsum et — Senrann. 1679.  
 50. Progr. in Fun. matris Bornemanniae, Cansmanni viduae. 1691.  
 51. Progr. tot. Rempen. 1709.  
 52. Progr. in Fun. An. Cath. Rineritiae, Hornesii vnyng. 1649.  
 53. Progr. XII Nov. A 1693.  
 54. — in Fun. An. Syph. Schmerhenniae, Sitt. Theod. Ackeri vid. 1702.  
 55. — Agnerae Kochner, Carp. Turberii vid. 1712.  
 56. Abhandlung eines abgelaugten Oigts.  
 57. Progr. in Fun. Homburgii Selt. 1714.  
 58. Catalogus scriptorum in div. acad. editorum. 1732.  
 59. Progr. in Fun. Carolus phil. stud. 1757.  
 60. Musurgia Topapii 1757.  
 61. — Sordili. 1758.  
 62. — Laur. Heideri. 1758.  
 63. De vita Frobenii. 1756.  
 64. Gratia panegygr. in diem nat. prin. Frederici V, davis et  
 65. De des principitate. Progr. in christi natal. his. 1762.  
 66. Progr. in fest. Michaelis. 1762. —

96  
1233

— Nonnulla deunt —

ULB Halle 3  
001 920 952









65

DE  
EO QVOD IVSTVM EST  
CIRCA  
FESTVM S. ARCHANGELI  
MICHAELIS

---

PROGRAMMA  
SOLLEMNI DIE ANNIVERSARIO  
S. MICHAELIS

---

A. R. S. C I D I O C C L X I I  
I N A C A D E M I A  
I V L I A C A R O L I N A  
P. P.

---

HELMSTADI  
LITTERIS VIDVAE B. SCHNORRII  
ACAD. TYPOGR.

